Zaleski Antonii: Assertiones theologicae de incarnatione verbi divini.

Grab

ASSERTIONES
THEOLOGICÆ

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI
EX PRIMO CAPITE D. IOANNIS EVANGELII,

AD MENTEM D. THOMÆ AQVINATIS
DEPROMPTÆ.

Disputabuntur pro Conuentu Lublinen. Cracouiæ in Capitulo Prouinciali in Conuentu SS. TRINITATIS Ord: Præd. Respõdente ad obiecta F. Francisco Grabiecki S. Th. Stud. Præsidente R.P.F. ANTONIO ZALESKI S. Th. Lectore, ac in almo Conuentu Lublinensi primario Professore Anno D. 1635. Mense Die

LVBLINI,
Ex Officina Typographica PAVLI CONRADI.



ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO, D. STANISLAO A TROIANOW TROIANOWSKI S. R. M. AVLICO, DOMINO ET PATRONO COLENDISSIMO.

SI quid vnquam fuit quod antiquos illos Philosophos, mirari primùm fecit, deinde Philosophari etiam, hoc certè gentilitium tuum Stemma, Illustris Magnifice Domine, me & mirari fecit & philosophari. Quid enim Sagitta illa? Quid annulus medius? Quid virginis manus cœlo versus extensæ? Illustrem de Odrouasiorum Familia Virginem à Barbaro Hoste raptam, dum post tergum Raptoris equo iniecta aueheretur, quendam nostratium militem conspexisse, & eleuatis in cœlum manibus, suppetias petijsse, ferunt Historiæ, motumq; casu Virginis militem, in Raptorem eius hostem prosiliisse, quo obtruncato, Virginem infelici sua captiuitate liberam dimisisse. Illa tanti non ingrata beneficij Militi, quem Parentis & progenitoris sui loco, sors illi obtulit, connubium, si Deo & Parentibus placeret, pollicita, annulum, quem manu gestauerat, detractum frangit medium, & dimidio sibi relicto, dimidium Assertori non minus libertatis quam & vitæ suæ, in signum præstandi polliciti obtulit. Re ad Parentes delata, cum & ipsi in præmium tantæ virtutis & beneficij, Virginem ipsi in Connubium non abnuerent, meritum suum præmium, Vir ille accipit coniugem, mediumq; Stemmatis Odrouasii,

sii, perpetuum virtutis suæ monimentum, familiæ adiunxit suæ. Ex hoc tam memorando facto & ereptæ Virginis felicitate, cum illud satis admiremur omnes, ad philosophandum, quamuis hierogliphicè, ita me meus impulit animus. Natura nostra in primo parente suo perdita, à Cacodæmone, rapacissimo & auarissimo tenebatur hoste, & per tot sæcula captiuas ad Deum ferebat manus, rumperet cœlos & descenderet, seq; miseram in optatam tandem aliquando libertatem assereret. Nec frustra suas in cœlum tendebat manus. Misertus tandem sortis suæ infelicissimæ Dominus, tanquam vir pugnator, vnigenitus Dei Filius, æternum æterni Patris Verbum, equum & ascensorem eius deiecit in mare, ereptamq; hosti prædam non abhorruit, & caro factum, diuinitatis suæ annulo sponsam subarrauit. Occurrit & aliud philosophandi genus. Gens & domus tua regno & Ecclesiæ tuendæ dedita, qua grauitate sua Senatoria, qua armis & consilio. Venit in mentem Nicolaus Powała (Stemmatis vestri nomen hoc, in cognomen Familiæ abijt) Theologiæ Doctor, Nostri Ordinis Sodalis, qui ab sua eximia in Regnum & Ecclesiam merita, Episcopatu Culmensi donatus, bona Ecclesiæ suæ à Cruciferis erepta, mirabili dexteritate recuperauit. Et tandem plenus vitæ Sanctimonia migrauit ad Dominum, Anno ab Incarnatione Verbi 1321. Trecentis ab hinc & amplius annis. Occurrit & Illustris ac Magnificus Dominus Succamerarius Sendomiriensis.

Vir suo tempore apud omnes conspicuus.

Tum verò Illustris & Magnificus D. Martinus Powała à Troianow Troianowski parens tuus, omne omnibus tulit punctum. In illo

illo iudicante vidimus idquod Chrysippus de optimo dixit iudice, quod iudex esse debeat Vir grauis, Sanctus, seuerus, incorruptus, inadulabilis, contra improbos & nocentes immisericors erectusq; & arduus, potens vi & Maiestate, veritate & æquitate terrificus. Octuagesimum is agens Annum plenus bonis operibus obdormiuit in Domino, Anno suæ salutis 1622. Succedit Magnificus Dominus Florianus Troianowski Magnificentiæ Vestræ vterinus frater, hic vigesimum vix ingressus annum Castra adijt, & cum in omni expeditione Moschouitica, Serenissimo Regi nostro SIGISMVNDO III. *adhæsisset, tum inde regressus Illustrissimo illo Duci* SAMVELI KORECKI *amplissimi nominis Viro, cum ducentis equitibus, in Castris Moldauicis & Valachicis, tantam suam præstitit operam, tantum probauit animum quantum nemo. Notabile fuit, quòd nunquam integris conflixerit viribus, priùsquam ipse singulari certamine, fortunam cum hoste experiretur suam, qua bonum diuinante tum demum integros etiam vel fundebat hostium exercitus, vel in longam satis & turpissimam conuertebat fugam, sed ecce aliquando desertus à reliquo Ducis exercitu, ipse mori potiùs quàm acie cedere honestius ducens, cum illis suis ducentis, cum horis aliquot super se, ingentem Turcorum & cruentè pugnantem, quasiq; in rabiem, paucorum obstinacitate & virtute, versum sustineret exercitum, tandem vt nobilem decuit ipse in confertos prouolans hostes, tot hinc inde Turcorum orco deiectis capitibus, cum iam circa ipsum vnum tam atrox esset prælium, vt totus ad ipsum Turcorũ aduolaret exercitus, tandem deficientibus iam præ lassitudine viribus,*

 mul-

multitudine hostium obrutus, Mars alter ad miraculum infidæ genti, occubuit, pluraq; circa vnum ipsum reperta hostium occisa corpora, quàm toto reliquo vbi pugnabatur iacerent campo. Ad te iam venio Illustris & Magnifice Domine. Tuam te viuente nefas est me canere oden, ne ad aurem potius quam ad veritatem loqui videar. Norunt qui sub regimine magni illius ZAMOSCII in exercitu aliquando fuerant, qui Moldauicas & Transiluanias cum Serenissimo BATHORIO Palatino Moldauiæ expeditiones secuti, cum hoste manus contulerant, quantum Marte qnantum manu possis. Bellis finitis in Aulam (post tot annos in illis consumptos) Serenissimi SIGISMVNDI III. te contulisti, cuius Maiestati non sine magna nominis tui gloria Aulicus astitisti. Et quod miramur, in hac quoq; tua prouectiori ætate, quæ bonum decent Ciuem Patriæ nunquam animo deponis tuo. Accedunt virtutes aliæ, quas prudens taceo, ne in os laudare te dicar, tuam tamen in Ordinem nostrum munificentiam & propensum animum, persuadere mihi non potui, vt non vel leuiter attingerem, quo factum est vt non possim me cum Familia mea Dominicana, ad opportunos animæ & salutis tuæ vsus denegare, & religiosè inseruire, neq; me aliud nunc etiam mouit vt hasce Theses meas honori dedicarem tuo, quam pronus tuus in nos animus. Par enim est vt tanti tui in nos animi aliquod extet symbolum & argumentum. Sed dum nos hoc pro honore tuo quod possumus, facimus, tu hoc à nobis quantumuis pusillum grati tamen beneficiorum tuorum animi nostri testimonium lubens accipe, & habe interim

terim, quousq; maiorum rerum aliqua non dabit se occasio. Vale & nostri non immemor viue. Dat. in Conuentu Lulinensi. 6. April. Anno Domini, 1635.

Illustriss: & M. Dominat: vestræ deditissimus

F. ANTONIVS ZALESKI
S. Th. Lect. & Professor.

A. M. D. G.

IN PRINCIPIO ERAT VERBVM. *Ioan:1.*

1. VERBVM hic, non intelligo illam vocem, quæ ab ore animalis ad placitum profertur, quod & nota mentis appellatur: ſed quod per intellectum actu intelligentem exprimitur. Quod & ſpecies expreſſa apud Philoſophos,& aliquando conceptus formalis nuncupatur.

2. Per quamcunq; enim actionem actualem intellectus, tàm creati quàm increati, procedit aliquid ad intra, verbum ſcilicet aut ſpecies expreſſa. Quod quidem non neceſſario ſed duntaxat permiſſiuè producitur. Quæ permiſſiua ratio, non ſolùm propter abſentiam vel præſentiam obiecti; aut propter intimam coniunctionem, & diſtantiam ab eodem; ſed etiam propter proportionem & improportionem obiecti cum potentia commodè aſſignatur.

3. Hoc idemmet verbum, non per quamcunq; actionem intellectus procedit; ſed per illam, quæ eſt dicere intellectualiter. Qui actus dicendi,quemadmodum in Deo,ita nec in nobis diſtinguitur realiter, aut ex natura rei ab actu intelligendi; ſed ſolùm diſtinguitur ratione formali. Imò, dicere vt ſic, includit formaliter intelligere.

4. Et quamuis intelligere noſtrum imperfectum, aut incompletum præcedat quodam modo dicere; dicere verò,præcedat actum intelligendi, perfectum, & completum: in Deo tamen, intelligere completum,cum ſit perfectiſſimum,præcedit dicere.

5. Differentia verbi creati ad Verbum diuinum inde colligi-

ligitur, quia verbum creatum in mente multiplicatur. Quot enim ſunt conceptus formales & perfecti, intellectus creati, tot ſunt ibi verba: in Deo autem eſt verbum vnicum; quia non poteſt ibi eſſe niſi vnicus conceptus perfectiſſimus. Præterea in nobis verbum eſt accidens: ſed in Deo idem eſt quod ſubſtantia diuina, quia Dominus Deus non patitur admiſtionem alicuius accidentis.

6. Huiuſmodi Verbum diuinum dicitur propriè filius & genitus,& ſua proceſſio dicitur verè & propriè generatio, quæ ſecundum ſuam rationem formalem nihil aliud importat quàm originem viuentis à viuente coniuncto, in ſimilitudine naturæ, &c.

7. Hoc ergo Verbum diuinum erat in principio: id eſt ab æterno, vt potè coëternum Deo Patri. Neq; enim Pater eſt prior ſecundum durationem filio, neq; filius eſt poſterior Patre. Quod enim procedens ſit poſterius duratione eo à quo procedit, hoc contingit vel quia producens à principio ſuæ durationis non habet potentiam, ſiue virtutem productiuam in eſſe perfecto: vel quia modus producendi, fit per motum, qui motus eſt in tempore: vel etiam quando aliquid producitur liberè, & non de neceſſitate naturæ. Nullum autem iſtorum modorum poni in diuinis cenſeo. In diuinis enim nulla poteſt eſſe potentia productiua imperfecta: nec etiam Verbum procedit per motum aut mutationem, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: tandem procedit à Patre de neceſſitate naturæ, cum Deus neceſſario intelligat ſe omnimoda neceſſitate ab æterno.

8. HIc nobis optimè exprimitur diſtinctio perſonæ filii Dei à Patre æterno. Omne enim quod apud alium eſt, diſtiſtinctum eſt ab eo apud quem eſt. Filius autem eſt alius à Patre, & Pater alius à Filio, non tamen aliud Pater, aliud Filius, cum ly aliud ſignificet diuerſitatem eſſentiæ: ly verò alius diſtinctionem ſuppoſitorum.

OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT.

10. ID eſt creata. non ſolùm ſcilicet, Cœli, Sol, Luna, & omnia entia ſublunaria; ſed & illi ſupremi ſpiritus Angelici, per eundem in ſuas hierarchias & ordines facti & diſtributi. Creare enim non poteſt eſſe propria actio niſi ſolius Dei: ita vt impoſſibile ſit quòd alicui creaturæ, conueniat creare: non ſolùm virtute propria; ſed & inſtrumentaliter ſiue per modum miniſterij.

11. Et quanquam creare conueniat Deo ſecundùm ſuum eſſe, quod eſt eius eſſentia, quæ eſt communis tribus perſonis; atq; ideò creare non ſit proprium alicui perſonæ, ſed commune toti Trinitati; diuinæ tamen perſonæ, ſecundùm rationem ſuarum proceſſionum ſunt rationes productionis creaturarum; in quantum ſcilicet includunt eſſentialia attributa, quæ ſunt ſcientia ſiue intellectus & voluntas, alio tamen & alio modo inuenta in ſingulis perſonis.

12. Vnde in Verbo importatur reſpectus ad creaturas, vt potè quia mente conceptum, eſt repreſentatiuum ſiue expreſſiuum omnis eius, quod actu intelligitur: non tamen eodem modo: illius enim quod eſt in Deo Patre eſt expreſſiuũ

tantùm; creaturarum verò est expressiuum, & operatiuum simul.

13. Non tamen Verbum ex sola essentia, aut ex sola proprietate personali, aut etiam ratione essentiæ, & proprietatis suæ relatiuæ simul, dicit respectum ad creaturas: sed ei singulariter conuenit iste respectus, ex notitia essentiali vt ratione referendi; & ex proprietate relatiua, & modo suæ processionis, tanquam ex conditione necessaria, sine qua vni personæ ab aliis distinctæ talis relatio nequaquam attribui posset.

14. Stante hoc quod per ipsum facta sunt omnia, non officit, quin hoc idemmet Verbum diuinum procedat, non solùm ex notitia essentiæ, personarum, & omnium relationum ad intra; sed etiam ex cognitione creaturarum possibilium, qualis est cognitio naturalis, seu simplicis intelligentiæ, & non scientia libera, qualis est visionis.

ET SINE IPSO FACTVM EST NIHIL.

15. D. Augustinus per huiusmodi nihil intelligit peccatum. Licet enim ratio formalis constitutiua peccati, non sit sola denominatio extrinseca, neq; etiam relatio realis, aut rationis, neq; priuatio simpliciter: sed duntaxat sit ratio realis positiua: quæ nihil aliud est, nisi tendentia quædam transcendentalis, actualis, in obiectum dissonum rationi: nihilominus inuenitur in peccato, quædam priuatio perfectionis actualis, & intrinseca ipsi actui. Ex qua tamen & ex illa entitate positiua non constituitur peccatum, tanquam ex ratione generica & differentiali: neq; includitur in eo priuatio tan-

quam

quam modus sibi intrinsecus, & essentialis; sed omninò & inseparabiliter consequitur eius essentiam.

16. Statuimus ergò Verbum diuinum non esse causam peccati nec per se nec per accidens, nec directè nec indirectè: quamuis sit causa actus peccati in genere naturæ: sed in genere moris, scilicet, quantum ad deformitatem illius actus, totam causalitatem reijcimus in voluntatem creatam deficientem.

17. Vnde quidquid entitatis reperitur in quocunq; actu peccati, etiamsi sit intrinsecè malus, debet reduci in Deum, tanquam in primam causam præmouentem, & prædeterminantem motione actuali voluntatem creatam, ad huiusmodi actum in quantum actus est & quatenus habet rationem entis.

QVOD FACTVM EST, IN IPSO VITA ERAT.

18. EX eo enim ipso, quod Verbum sit causa productiua rerum, & sit ratio omnium eorum, quæ facta sunt à Deo, oportet, vt ea quæ facta sunt, præextiterint in Verbo Dei, antequam sint in propria natura. Quod autem est in aliquo, est in eo, per modum eius, in quo est, & non secundùm proprium modum. Vnde res creatæ intelligendæ sunt in Verbo Dei præextitisse, secundùm modum Verbi ipsius. Est autem modus Verbi diuini, vt non solùm sit viuens sed & ipsa vita: vnde res factæ à Deo præextiterunt in Verbo Dei vitaliter, & erant vita.

19. Verumtamen quod creatura in Verbo, existens, dicitur vita, non pertinet ad rationem propriam creaturæ, sed ad modum qui est in Verbo. Quare cum non sit eodem modo in seipsa, nō etiam sequitur quod viuat in seipsa, quamuis in Verbo

bo ſit vita: ſicut non eſt in ſeipſa immaterialis, quamuis in Verbo ſit immaterialis.

ET VITA ERAT LVX HOMINVM.

20. COgnitio ſcilicet aut notitia intellectualis diuini intellectus. Deus enim non ſolùm eſt cauſa per intellectũ ſuum, omnium quæ naturaliter ſubſiſtunt; ſed etiam omnis intellectualis cognitio, omniſq; ſapientia, & intellectus, ab intellectu diuino in homines diffunditur, ac deriuatur.

21. Licet autem tàm à Deo quàm ab homine deriuetur ſcientia in alium; modo tamen alio & alio: nam homo per ſuam ſcientiam directus, tanquam per exemplar, cauſat ſcientiam in alio; non quidem ipſi ſcientiam imprimendo, aut cauſando in diſcipulo lumẽ intelligibile, aut intellectuales ſpecies; ſed tantum proponendo ei aliquas propoſitiones minus vniuerſales, quas diſcipulus ex naturaliter præcognitis, diiudicare poteſt. Vnde homo docens non eſt principale agens, ſed coadiuuans agens principale, intellectum ſcilicet addiſcentis. Deus autem vltra hæc eſt etiam cauſa luminis intellectualis; & cognitionis naturalis primorum principiorum, vnde eſt cauſa principalis ſcientiæ in nobis & ſimul coadiuuans.

ET TENEBRÆ EAM NON COMPREHENDERVNT.

22. PRouenit hoc non ex defectu Verbi, quòd non omnes homines ad veritatis cognitionem perueniant, ſed aliqui tenebroſi exiſtant: ſed prouenit ex defectu hominum, qui ad Verbũ nõ conuertuntur. Et non ſolum hoc, ſed etiam ipſa merita naturæ intellectus creati hoc efficiunt, vt nequaquam

quaquam cognitionem naturalem, quælibet creatura ſolo lumine naturæ, verbi æterni habere queat.

ET VERBVM CARO FACTVM EST.

23. NOn per conuerſionẽ diuinitatis in carnem (hoc enim arguit ſummam & maximã hæreſim) ſed per aſſumptionem humanitatis in Deum, ſ. vnionẽ humanitatis cũ verbo. Poſſibile enim erat, imò & conueniens, verbum hoc diuinum, ſine omni reſiſtentia, aſſumere naturam humanam. Neq; hoc enim implicabat ſed potius, ad ipſam ſummam bonitatem ſpectabat, vt ſe cõmunicaret creaturæ modo perfectiſſimo. Ex qua tamen communicatione, nulla ſibi perfectio accreuit, ſed dumtaxat ipſi naturæ humanæ.

24. Quæ poſſibilitas, aut conuenientia, impoſſibilitas quoq;, ſolo lumine naturæ, non perfectè ſolum ſed & imperfectè, ſuppoſita etiã executione incarnationis, demonſtrari nõ poteſt. At poſita reuelatione, huius myſterij, Ipſa etiam neceſſitas, luce ſolis clarius demonſtratur; potiſſimè cauſâ liberandi à peccato genus humanum, & ſatisfaciendi pro culpa.

25. Id enim (ſcilicet peccatum) licet ſit infinitum ſecundum quid, quatenus eſt malum peccantis, quo auertit eum ab vltimo fine, & priuat rectitudine rationis, &c. infinitũ tamẽ eſt ſimpliciter, quatenus eſt malum Dei, non illatum, ſed intentatum, ſeu affectatum. Quod vendicabat non permittere, vllum hominem purum (non ſolum vnionis hypoſtaticæ excluſione, ſed & gratiæ habitualis) ſatisfacere de rigore iuſtitiæ, ſecundum perfectam rationem iuſtitiæ commutatiuæ.

26. Li-

26. Licet enim Deus, poterat communicare tantam gratiam, & charitatem, aut actum contritionis, alicui hominum, vt iis mediantibus, opus bonũ acceptaret, & eo contentus esset in satisfactione, non tamen potuit hoc idem etiam per absolutam suam potentiam, præstare ad satisfaciendum, secundum leges iustitiæ rigorosissimæ, pro peccato secundùm quod est malum Deo intentatum: sed desiderabatur ad hoc infinitus valor personæ satisfacientis, qualis fuit Christi Domini, non solum ex parte rei oblatæ, sed & ex parte oblationis.

27. Cuiusmodi satisfactio, non est tribuenda humanitati Christi, tanquam principio quod, (hoc enim est proprium supposito) sed vt principio formali quo. Vnde ista propositio; Christus in quantum Deus homo satisfecit, est in proprietate sermonis accipienda.

28. Non tamen hæc necessitas incarnandi Verbum vllo modo vrget, nisi supposito peccato. Deus enim, nequaquam incarnatus fuisset, si homo non peccasset. Et hoc non solùm ex vi decreti efficacis incarnandi, quod de facto in Deo fuit ab æterno; sed nec etiam ex vi alterius decreti, quod in Deo fuisset ab æterno ex hypotesi.

29. Nec placet dicentium: potissimam causam seu finem proximum incarnationis fuisse redemptionem humani generis in carne passibili? Nec enim in carne impassibili, vel vt abstrahit, â carne passibili & impassibili, stare potest, sine graui præiudicio perfectionis diuinæ prouidentiæ, secundum quam opus hoc arcanum prædeterminatur in particulari & non in confuso. Quod non solùm quo ad substantiam, sed quan-

quantum attinet circumſtantias,& modos, haud quaquã commiſſum eſt rerum euentui.

30. Ea tamen neceſſitate ſuppoſita, certum eſt, Chriſtum Dominum veniſſe in hunc mundum, non ſolùm ad delendum peccatum originale, ſed & actuale: principalius tamen ad delendum originale, ratione magnitudinis extenſiuæ. Peccatum enim actuale, licet ſit maius ſecundum magnitudinem intenſiuam: quia tamen non nocet, bono vniuerſali, ſed duntaxat bono perſonali, proinde maius eſt ſolùm ſecundum magnitudinem extenſiuam.

31. Et quemadmodum inconueniens fuit Deum incarnari ab initio mundi, non ſolùm antecedenter ad peccatum, ita etiam immediatè poſt peccatum differre vſq; in finem mundi, humano generi non erat ſanum.

32. Hanc vnionem ineffabilem, impoſſibile eſt fuiſſe factam in natura, ſumendo naturam, vt ſignificat eſſentiam vel quidditatem rei: ita vt in incarnatione non fuerit conuerſio facta naturæ diuinæ in humanam: ſed poſt vnionem remanent duæ naturæ diſtinctæ in vna perſona. Sed etiam ex natura diuina & humana, reſultare in Chriſto tertiam naturam, ex vi huius incarnationis, eandem impoſſibilitatem arguit.

33. Sed facta eſt in perſona (non vt exercet relationem ad Patrem per ſe primo, ſed vt ſubſiſtens) vt pote in ſuppoſito & hypoſtaſi. Inde Chriſtus eſt vnum ſimpliciter propter vnum ſuppoſitum, & duo ſecundum quid propter duas naturas in quibus ſubſiſtit.

34. Quam perſonam Chriſti Domini, vt eſt in naturâ humanâ, eſſe compoſitam, non ſolùm ex natura diuina & hu-

mana, sed & ex persona diuina & natura humana, certissimum censemus secundũ fidem. Secus est si persona Christi consideretur secundum se vt scilicet subsistit in natura diuina præcisè.

35. Nec minus in hac mysteriosissima vnione animam solùm aut Corpus vniri naturæ diuinæ, sed vtrumq; simul certissimum est; nec enim Deus sua diuina eminentia supplere potest vices animæ rationalis, & suarum potentiarum. Non tamen inde censenda est illa vnio esse essentialis, aut accidentalis, sed dumtaxat substantialis, vt pote secundum subsistentiam siue hypostasim.

36. Per actionem huius vnionis non est productus aliquis modus substantialis, qui sit relatio in humanitate, ab ea realiter siuè ex natura rei distinctus: sed natura, & verbum seipsis immediatè vniuntur; absq; eo quod interueniat aliquid creatum actualiter vel formaliter vnitiuum.

37. Prædictæ vnionis terminus alius est totalis, alius formalis. Et ille quidem neq; est quid præcisè creatum neq; increatum: iste vero pro magis principali sumptus, est quid omnino increatum.

38. Hæc mysteriosissima vnio, non est idem quod assumptio; sed differunt, sicut relatio, & actio, aut passio: Et sicut aliquid cuius esse est in fieri & in facto esse. Et tandem assumptio importat terminum à quo & ad quem ipsius actionis: vnio verò nihil horum importat. Productio quoq; humanitatis creatio animæ, & vnitio ad personam Verbi sunt actiones realiter distinctæ.

39. In hac ineffabili vnione, humanitas Christi, de facto existit immediatè per existentiam Verbi, absq; propria & con-

natu-

naturali existentia. Imo etiam per absolutam Dei potentiam fieri non potuit, vt Verbum diuinum assumeret humanitatem existentem propria existentia creata.

40. Non fuit facta per gratiam habitualem, aut etiam per antecedentia opera, ordine naturæ, ad vnionem hypostaticam quibus illam meruisset humanitas Christi, non de condigno solùm; sed nec de congruo. Sancti tamen illi antiqui, eam petendo, & desiderando eam meruerunt de congruo, non solùm quo ad accelerationem, sed etiam quo ad substantiam ipsam.

41. Adeò est proprium personæ diuinæ, naturam creatam, substantialiter terminare, vt hoc idem, etiam per absolutam Dei potentiam, sit alienum à quacunq; creatura creabili: non solùm vt causa principali, sed etiam vt causa instrumentali, sic terminare naturam alienam: hoc enim expostulat infinitam virtutem, vt conditionem sine qua non.

42. Et quamuis vírtute naturæ diuinæ facta fuerit vnio, non tamen naturæ diuinæ conuenit esse terminum assumptionis, per se primo & secundùm seipsam; sed solùm ratione personæ, cui proprium est primo & per se, & vt quod terminare naturam, tribuendo illi propriam subsistentiam relatiuam; ita tamen vt secundario eidem tribuat existentiam absolutam increatam, qua formaliter Verbum existit.

43. Quod tamen non infert, Patrem aut Spiritum Sanctum, habere vinculum substantiale cum carne ex vi talis mysterij, aut eosdem esse per concomitantiam incarnatos. Licet ex parte principij effectiui necessum fuerit, vt assumptio sit communis tribus personis quæ sunt præsentes humanitati,

 modo

modo ſpecialiori, quam ſint in omnibus creaturis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & iuſtis per gratiam.

44. Sicut non implicat quamcunq; perſonam diuinam, potuiſſe aſſumere naturam humanam: ita minimè implicat plures perſonas diuinas aſſumere poſſe eandem numero naturam. Similiter quoq; vnam perſonam diuinam potuiſſe aſſumere duas naturas humanas. Magis tamen conueniens fuit filium aſſumere naturam humanam quam aliam perſonam diuinam.

45. In qualibet etiam alia creatura, eſt potentia obedientialis ad vnionem hypoſtaticam. Ita vt tam Angelus quàm quælibet ſubſtantia completa etiam inſenſibilis per potentiam Dei abſolutam, poſſit verbo vniri hypoſtaticè. Materiam nihilominus ſine forma ſubſtantiali per nullam potentiam poteſt Deus ſibi vnire hypoſtaticè: quamuis hoc poſſit præſtare formæ ſubſtantiali. Neq; etiam implicat hoc idem accidentibus conuenire ita vt immediatè & formaliter exiſtant per exiſtentiam increatam.

46. Humanitas terminata perſonalitate Verbi diuini nullam amplius inclinationem habet aut appetitum non ſolum elicitum ſed & naturalem, ad propriam ſubſiſtentiam & perſonalitatem.

ET VIDIMVS GLORIAM EIVS, &c.

47. IN miraculorum ſcilicet operatione quæ ſola virtute diuina fieri poſſunt: cum enim in Chriſto ſint duæ naturæ, vna earum agit cum communicatione alterius, in quantum

tum ſcilicet natura humana eſt inſtrumentum diuinæ actionis, & ab ipſa accipit omnem virtutem faciendi miracula.

48. In his ergo miraculis, viſa eſt gloria Chriſti: erant enim ſufficientia ad manifeſtandam diuinitatem eius: tum ſecundum ipſam ſpeciem operum eius, quæ tranſcendebant omnem poteſtatem creatæ virtutis: tum propter modum miracula faciendi, &c. Viſa quoq; eſt in transfiguratione illa admirabili in qua claritas Chriſti effulſit in diſcipulos, quæ claritas, fuit claritas gloriæ quantum ad eſſentiam: non tamen quantum ad modum eſſendi.

PLENVM GRATIÆ.

49. ERat enim in anima Chriſti, præter gratiam vnionis hypoſtaticæ gratia habitualis quæ nihil aliud eſt, quàm participatio formalis totius naturæ diuinæ: non ſecundum aliquam ſpecialem perfectionem vel attributum: ſed ſecundum quod habet rationem eſſentiæ, & vt eſt Ens infinitum per eſſentiam, & præuenit Trinitatem.

50. Nam licet ex parte ſuppoſiti operantis, non erat neceſſaria ſimpliciter gratia habitualis, vt operationes eius humanæ, eſſent Deo gratæ, gratitudine perſonali, & meritoriæ ſupernaturalis præmij: erat tamen ſimpliciter neceſſaria, aliqua gratia, inhærens animæ Chriſti & potentiis eius: ſiue per modum habitus, ſiue per modum actualis motionis.

51. Ex hac enim, omnes virtutes morales, tàm infuſæ, quàm ex genere acquiſitæ, non ſecus quam potentiæ animæ ab eius eſſentia promanarunt: exceptis eis quarum ſubiectum non erat capax; vel quæ ſupponunt peccatum, qualis eſt pæni-

nitentia: vel quæ stare non possunt, cum visione clara Dei, vt fides & spes, &c.

52. Quæ gratia, licet sit finita in esse qualitatis, infinita tamen est in esse gratiæ: Quam infinitatem sortitur sibi non per acceptationem Dei intrinsecam: neq; per aliquem modum physicum intrinsecum, qui modaliter sit infinitus; sed secundum dignitatem moralem, quæ desumitur ex dignitate suppositi, quod est principium operationis infinitè meritoriæ, & satisfactoriæ.

53. Similiter etiam eadem gratia in esse physico, siue qualitatis est eiusdem rationis, cum gratia puræ creaturæ: secundum autem esse morale, habet aliquam perfectionem alterius rationis. Inde de potentia Dei absoluta, dari potest gratia habitualis in Esse Entis, magis intensa quam fuerit gratia Christi: in esse tamen morali non item.

54. De facto tamen gratia Christi, in esse qualitatis, tantam intensionem habuit vt adæquaret omnes gradus gratiæ Angelorum, & hominum (etiam non excipiendo ab hoc suam genitricem) collectiuè sumptos.

ET VERITATIS.

55. ERat enim summa veritas quæ nec falli nec fallere potuit propter suam altissimam scientiam ac limpiditatem intellectus. Hic enim præter scientiam diuinam, habuit etiam scientiam creatam.

56. Habuit quoq; scientiam beatam comprehensorum, à primo instanti conceptionis suæ vsq; nunc: per quam vidit

dit Deum per eſſentiam, non tamen comprehendendo eam, per eandem cognouit omnia in verbo, omnia quæcunq; aliquo modo ſunt vel erunt vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cognita à quocunq; & ſecundum quoduis tempus. Non tamen per eam cognouit omnia quæ ſunt in potentia Dei, ſed ſolum illa quæ ſunt in potentia creaturæ.

57. Per eandem licet non cognoſcat infinita actu, ſed tantum in potentia, ſi loquamur de ſubſtantiis, & accidentibus permanentibus: cognoſcit tamen infinita actu, ſi loquamur de accidentibus ſucceſſiuis, quorum cognitio non ſolum eſt habitualis in Chriſto ſed & actualis.

58. Poſt ſcientiam beatam datur in Chriſto ſcientia infuſa per quam cognoſcit omnia quæ ab intellectu creato etiam Angelico naturaliter cognoſci poſſunt, non ſolum quantum ad rationes communes & vniuerſales, ſed ſecundum rationes quoq; proprias & particulares, non tamen per eam cognoſcit actu omnia entia quæ ſub ea cadunt, ſed habitualiter & ſucceſſiuè.

59. Per eandem cognoſcit certò & infalibilliter in proprio genere, futura omnia contingentia etiam libera intuitiuè. Omnia quoq; entia ſupernaturalia: & omnia myſteria gratiæ exhibita in quacunq; differentia temporis, ſed hoc non vt ſunt in ſeipſis aut intuitiuè ſed in atteſtante dumtaxat.

60. Tandem Chriſtus cognouit per huiuſmodi ſcientiam Deum in quantum eſt Vnus & primum principium rerũ creatarum vt trinus autem in perſonis eſt, in atteſtante ſo-

lum

lum, euidenter tamen: Quà potuit Christus Dominus vti conuertendo se ad phantasmata & non conuertendo: & probabile est aliquando eum vsum fuisse illa conuersione: quemadmodum etiam licet hæc scientia non fuerit discursiua quo ad acquisitionem, sed à Deo solo immediate infusa: quo ad vsum tamen poterat esse si id placuerit Christo Domino.

61. Vltra scientiam Beatam & scientiam infusam abundabat Christus Dominus scientia acquisita per quam sciuit omnia illa quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis; in qua profecit Christus decursu temporis: non tamen eam didicit ab homine aut ab Angelo: Sed eam acquisiuit lumine intellectus, agentis abstrahendo species intelligibiles à phantasmatibus.